

# The Digital *Viridarium consolationis* Project

## Pars 2: De aliis peccatis Caput 10: De accusatione (4)

Prosper:

Tamdiu enim quisque peccata sua,  
que flere deberet ignorat,  
quam diu curiose aliena considerat.  
Quod si se ad seipsum conversus aspiciat,  
non requiret quod in aliis spiritualiter reprehendat,  
sed in seipso quod lugeat.  
Et proinde fratrum nostrorum vitia non debemus accusare,  
sed lugere et gemere, ut invicem onera portantes nostra,  
legem christi possimus implere,  
qui utique non accusavit peccata nostra sed tulit.

Tandiu enim quis peccata sua,  
quae nosse, aut deflere debet, ignorat;  
quandiu curiose aliena considerat.  
Quod si mores suos ad seipsum conversus aspiciat,  
non requiret quod in aliis specialiter reprehendat,  
sed in seipso quod lugeat.  
Proinde fratrum nostrorum vitia non facile debemus accusare,  
sed gemere: ut invicem onera nostra portantes,  
legem Christi possimus implere (Gal. vi, 2);  
qui utique non accusavit peccata nostra, sed tulit,  
Evangelista dicente:  
*Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi (Joan. i, 29).*

Iulianus Pomerius, *De uita contemplativa*, 2.6 (PL 59, col.450B-C).